



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

20. Duo dubia satis practicabilia circa Indulgentias discutiuntur? Ex p. 6. t.  
6. & Misc. 3. r. 31.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

vel satisfactionis nobis deficientis) acquireret illam satisfactionem Indulgentiæ, etiam si quando tale opus operatur neque intendat actualiter, neque virtualiter, non etiam penitus ignoret, quæ veritas magis confirmatur ex probabiliori opinione asserente, quod quis satisfacit præcepto recitandi Horas Canonicas, & audiendi Missam & sacramentalis penitentiæ, si fiat opus iniunctum, quamvis fiat cum formali intentione positiua non satisfaciendi pro tunc, ergo satisficit præcepto imposito pro faciendis rebus iniunctis pro Indulgentia, etiam si quis careat intentione actuali, vel virtuali eam lucrandi, hoc enim est multo minus, quam in supradictis tribus præceptis habere intentionem actualem non satisfaciendi pro tunc, quia non obstante satisficit, & hæc omnia docet Portel *vbi supra* alias etiam adducens rationes, & ideo concludit, quod

Sup. hoc in Ref. præterita.

si in aliqua Ecclesia est vna Indulgentia concessa intranti illam, & ibi certis vicibus dicenti *Pater noster*, & *Aue Maria*, vel quid simile, si aliquis existens in gratia intrauit Ecclesiam, & recitauit Orationes iniunctas pro illa Indulgentia lucranda, sed ignorauit ibi talem Indulgentiam illo die concedi, hoc non obstante asserit supradictam illam Indulgentiam lucrari, & hanc sententiam testatur Portel audiuisse ex ore proprio à sapientissimo Patre Ludouico Molina Societatis I. E. S. V. illam docente.

## RESOL. XX.

*Duo dubia satis practicabilia circa Indulgentias discutuntur.* Ex parte 6. tractatu 8. & Misc. 3. Resol. 31.

Sup. hoc primo casu & dubio inf. in Resol. 22. à princ. sed ibi mutata sententia in §. Vidisti, dictæ Ref. & hic inf. in §. seq. huius Resol.

§. 1. EX Gallia fuerunt mihi transmissa duo dubia, & ita erat petitio. In Ecclesia Sancti Caroli Lugdunensis sunt altaria ad Confraternitates diuersas pertinentia; vnum, v. g. ad Confraternitatem S. Ioseph, aliud ad Confraternitatem S. Iacobi, aliud, &c. Vnaquæque Confraternitas pro sua Capella, vel pro suo Altari Indulgentiam plenariam ad septennium per Breue obtinuit, in quo est Clausula (volamus autem quod si alicui Christi fidelibus dictam Ecclesiam visitantibus aliquam aliam Indulgentiam perpetuam vel ad tempus nondum elapsam duraturam concesserimus, præsentibus nullæ sint.) Queritur modo an hoc non obstante valeant Indulgentiæ ut supra concessæ? Secundum dubium sic erat. Confraternitas, v. g. Sancti Caroli Lugdunensis Indulgentiam plenariam pro sua Ecclesia seu Capella obtinuit in die festo Annuntiationis, ut in Breui continetur lucranda. Vnus autem Ecclesiæ Lugdunensis est non solum transferre officium dictæ Annuntiationis, quando in Hebdomada maiori cadit, verum etiam solemnitatem ita quod in ea die in qua fit translatio omnis loci populos cesset ab opere. Queritur modo an in dicto translationis casu transferatur quoque Indulgentia?

Sup. hoc secundum dubio inf. in §. ult. huius Resol. & in alia eius annot.

2. Ad primum dubium respondi affirmatiuè, quia verba dictæ clausulæ intelligenda sunt de alia Indulgentia simili expressa in eadem concessione, ob dictionem, aliam, quæ est repetitiua eiusdem qualitatis, quæ prius, seu immediatè fuerat expressa; unde v. g. valida erit Indulgentia cum dicta clausula pro festo B. Caietani, etiam quod in nostris Ecclesiis adesset Indulgentia pro festo B. Andrea. Et ita docet Lezana in *summa*, tom. 3. verb. *Clausula*, numero 25. Naldus eod. verb. & Gauantus in *Manuali Episcop. verb. Indulgentia*, n. 17.

Sup. hoc in Ref. annot. primæ huius Ref. &c.

3. Ad secundum dubium etiam affirmatiuè respondi ex dictis supra in alia resolutione ex doctrina Francisci Syluij in *resolutionibus variis*, verb. *Indulgentia* 2. §. *Si autem*; quia ut suppono in breui dictæ Indulgentiæ

Sup. in Ref. quæ nunc hanc seq.

tia nulla efficitur mentio de die mensis, sed conceditur Indulgentia pro die festiuitatis, ergo ista translata transferatur etiam Indulgentia. Hoc addam, hic, quod non obstat doctrina P. Magiltri Lezana *vbi supra in summa* tom. 3. verb. *Festi dies numer.* 13. ex Portello & Azorio, quod aliquis dies festus habeat Indulgentiam annexam lucrandam tali die, si contingat officium illius diei transferri in alium diem, tunc Indulgentia non transferatur. Non, inquam, hoc obstat, quia seruitio cum Lezana, quod quando transferatur officium, non transferatur Indulgentia; sed secus dicendum, puto quando transferatur, tum ipsa festiuitas, tunc enim puto ut dixi quod transferatur etiam Indulgentia.

## RESOL. XXI.

*An Indulgentia concessa alicui diei festo transferatur si dies festus transferatur?* Ex parte 6. tract. 7. & Misc. 2. Resol. 31.

§. 1. CASus est practicabilis, & ad illum negatiuè respondet ex Azorio Fagundes in *præcept.* 1. *Eccles. lib. 1. cap. 2. n. 10.* *vbi sic ait*, Sed rogabis, An quando transferuntur horæ Canonice, transferantur etiam Indulgentiæ concessæ à Summo Pontifice; Negat expresse tom. 2. *Moral. insitut. lib. 1. cap. 8. quæst. 8. fol. 183. colum. 1.* affirmans eas esse adnexas ex consensu & concessione Summi Pontificis, diei certo, & non posse in alium diem transferri: nisi speciale privilegium in illarum diplomate exprimat, cui opinioni assentior, propter eandem rationem.

2. Verum affirmatiuè sententiæ adhaeret Franciscus Syluius in *resolut. variis*, verb. *Indulgentia* 2. *vbi ita asserit*. Si conceditur indulgentia visitantibus Ecclesiam N. die festo talis aut talis Sancti, nulla facta mentione diei mensis, aut diei depositionis, aut mortis, aut translationis, aut similis: & contingat festum illud celebrari die ordinario, in quem cadit, sed aliquo alio, in quem non solum officium, sed etiam festum transferatur; verisimile est indulgentiam quoque transferri: quandoquidem Indulgentia concedatur pro die festo talis Sancti: dies autem festus illius fit, quando eius officium, ac festum celebratur. Vnde si conceditur indulgentia in festo Annuntiationis B. Mariæ Virginis, & quoniam die 25. Martij cadit in septimanam Sanctam, festum simul cum officio transferatur ac celebratur post Dominicam in Albis, probabile est indulgentias lucrandas esse non in die 25. Martij, sed eo die quo post Pascha festum illud celebratur. Idemque propter eandem rationem dici posse videtur, quando nulla similiter facta mentione diei mensis, aut depositionis, &c. conceditur indulgentia visitantibus Ecclesiam talem die festo, vel in festo S. Benedicti, S. Thomæ, S. Francisci de Paula, &c. & propter Dominicam Quadragesimæ, aut aliud impedimentum, Benedictini, Dominicani, Minimi, aut alij festa illa transferunt iuxta præscriptum Romanorum Pontificum, quod nimirum fideles lucrari possint indulgentias, eo die quo festa illa celebrantur. Huc vsque Syluius satis quidem probabiliter,

## RESOL. XXII.

*An Indulgentia alicui Templo concessa perseveret si Templum alio transferatur in loco?* Et quid si dirueretur, & reficeretur per partes? Ex p. 6. tract. 7. & Misc. 2. Resol. 32.

§. 1. Nota